





EPITHALAMIA
In honorem
ORNATISSIMI ET INTEGERRIMI VIri-Iuvenis, Dn. JACOBI SCHADELOCHII, Sponsi:
Et
LECTISSIMÆ ATQ; Pudicißimæ matronæ MARGARETHÆ Crambern/ Dn. Caspari Lünenburgs (p. m.) civis Stetinensis integerrimi relictæ viduæ secundùm Sponsæ

Scripta ab
AMICIS.

χρονοδίστιχον.
Vt ter qVIna poLI SepteMbrIs ab aXe CorVsCat
LVX, en IaCobo pVLCra VIrIssa VenIt.
M. S.

STETINI, Typis Duberianis.





Tetino quamvis ego corpore Passius absum,
Corde tamen mediâ versor in urbe meo.
Namq́ celebre tuum, Stetinum crede, lycæum,
Immemorem nunquam me sinit esse sui.
Quarè cum bona sit scribendi copia; Sponsis
Hæc ego transmisi vota cupita novis.
Scilicet ex patrijs hæc misi finibus, ut sint
In signum memoris pectoris illa mei.
Sponsis, CHRISTE, novis benedic, precor, atq; per illos
Fac quoq; plantentur cœlica regna patris.

Casparus Passius Lipsico-Misnicus.



Jacob Schadeloch
vnnd
Margareth Krambers } **Brautleute**

ἀναγραμματικῶς

W' pro V V pos.

Brandschade/Krancheit/ loser baw/borg macht Leute arm.



Vîs *Vulcanus* opes aufert, qui sæpè laborant
Morbis, quosq; nimis tecta locare juvat,
Et sine qui precio sunt prompti vendere merces,
Jllos pauperie deniq; Fata premunt.
Hæc caveant igitur, si possint, quotquot habendi,
Servandiq; suum debita cura tenet.
Et quia *nemo videt solus satis omnia*: prudens
Non socij renuat fœdus inire Tori.
Provida nam prunas, quas *vir* non viderat, *uxor*
Extinguit, flammis ne dare tecta queant.

Præ-

Præcavet, (ut potis est) ne *vir* languescat, & ipsum
Si quâ Fata tamen debilitate premunt:
Orat, ut ipse DEUS sanet : Medicamina ferri
Curat, & humanæ quicquid habetur opis:
Ne diuturnus eum languor denudet, & omnes
Perdat opes, sed plus ut meruisse queat.
Cum qua Cupido nimis frustranea tecta *maritum*
Ædificare trahit, præpedit *uxor* opus.
Ipsemet in medio, si perrexisset, (ut ajunt)
Castra caduca freto dum posuisse videt.
Est aliquando suas sine nummis vendere merces
Vir nimium facilis, decipiturq; fide.
Uxor abhortatur, ne pergat: Moriger isti
Damna fugit, nec dat, fiat ut ipsus inops.
Hi venient ad opes premet UNUM tristis egestas:
Is sua solus enim damna cavere nequit.
His benè perpensis, primo privata marito,
Sponsa novi Thalami jura subire paras.
Gratulor hunc animum tibi, toto corde precatus,
Ut sint præsidio prospera cœpta DEI.
Ipse CREMATORES reprimat, ne, Sponsa, **CREMANDO**
Te spolient opibus fraude doloq; tuis.
Ambos ipse sinat firmis *vos* viribus uti,
Aq; malo vestras sic tueatur opes.
Nestoreis annis, optatis rebus, amictu,
Victu, prole, polo *vos* DEUS opto beet.

ἐπεόστιχον.

O, qVICVnqVè faVent stVDIIs, reX ChrIste, gVberna:
QVIs oDIsse LVbet, pLeCte refLeCte VIros.

Johannes Ecdicander Tang.
Marchicus.

ALIVD.

Facessito, facessito,
Connubij quæ prohibes
Fieri sacrata fœdera,
Calebs cohors Suitica.
Facessito facessito,
Quæ verba sic ludis Dei,
Multis retro qui seculis
Duo, sanxit, una ut sint caro.
Facessito facessito
Quæ fornicando clanculum
Scortationes eligens
Lucem fugis, tenebras amas
Num sic supremi numinis
Diceja, jussa perficis?
Num sic in orbe ecclesia
Colitur, vel in cœlis Deo?
Sic vasa servantur sacri
In castitate Spiritus?
Quin ex Dei sic organis
Fiunt maligni spiritus.
Ergo facessas impiè
In cœlibatu quæ (malum)
Ocio frui turpissimo
Non esse peccatum, doces.
Cellis in imis, si libet,
Incestuosa te abdito
Honesta sed sponsalia
Et justa, dic connubia
Piis relinque catibus.

faustæ gratulationis ergò fecit
Abrah: Costai: Rup. March.

Ζήτημα γαμικὸν

An { *VIrgo, VeL VIDVa IVVenIs* / *SIt Vere, an aVtV Mno IVVenI* } *ducenda?*

Ἐξήγησις τοῦ ζητήματος.



NUm vidua, an virgo ducenda, in utramq; virorum
Partem pars doctûm versat, aitq;, negat.
Partibus â Nymphæ stantes, viduamq; negantes
Ducendam, solidâ non ratione carent.
Vir geminas viduæ pænas dat: namq; prioris
Nunquam quit mores tollere corde viri.
Vir prior, ingeminat, quanti reputaverit illam,
Extollit dotes, ingeniumq;, fidem.
Hic labor est, primi ut mores oblita mariti
Se genio formet posterioris, opus.

Vitri-

Vitricus in gnatos sævit, quod vindicat ipsa:
Hinc litis suevit surgere larga seges.
Vitrico ut insidias reparent instigat iniquas
Gnatos: enata hinc pessima sæpè mala.
Ceu lapis â gnato fertur tetigisse novercam
Projectus: labor haud, dixit, inanis erat.
Ergò jubent viduæ Nympham præferre tenellam,
Gaudentem placidum cautus inire torum,
Si placet illius mos, est benè: Sin minus, arte
Ducier illa velut planta novella potest.
At Natura nequit viduæ vi pellier ulla,
Dura licet repetant verbera, verba viri.
Virgo virum lepidis novit recreare loquelis,
Gestit in amplexus comiter ire viri.
Dedita tota viro vultus advertit in illum,
Lumina fida, fide, plena favore gerit.
Non morosa sui detrectat jussa mariti:
Quod vetat, illa vetat, quod cupit, illa cupit.
Quod cupis, ecce capis, Nympham si duxeris, ajunt:
Si viduam; quod tu non cupis, ecce capis,
Arbitris officium si pars daret utraq;, starem
Partibus â viduæ, quæ pia, pulcra, proba.
Ædibus hæc gaudet, rebusq; instructa, gerendæ
Ære rei nervo: Cuncta parata vides.
Nota viri viduæ gressus, nutusq;, præesse
Scit rebus solers, scitq; subesse viro.
Erigit at virgo cristas, & nescia juris
Justa virûm renuit jussa subire viri.
Præcellit lepidis Nympham recreando maritum
Dictis, amplexus nec negat illa viro.
Virgine fortunam perfert patientius omnem:
Si dolet ille, dolet, sin ovat ipsus, ovat.
Proîn viduam Nymphæ jubeo præferre superbæ,
Qui velit optatum cautus inire torum.

Quæritur aſt iterum quandò ducenda ſit uxor?
Autumni aut brumæ tempore, vere novo?
Magnus Ariſtoteles Autumno tempora veris Lib. 7. Polit. c. 16.
Purpurei nuptis anteferenda monet.
Nec temere: varias ſi ſpectes corporis omnis
Vere vices: ſanguis flos velut ipſe viret.
Auget ver ſemen, generatrix vis viget, atq;
Ceu ſuavi floret lilia miſta croco.
Præfero at autumnum Veri: quia tempora Veris,
Autumnus quæ fert fertilis, hæcce negant.
Frugifer Autumnus pingues dat ovesq; bovesq;,
Vinaq; cum rapis, non mala mala, nuces.
Cum gallo capus eſt pinguis, nec ſtridulus anſer
Eſt macer: Autumno quid magè quæſo ferax?
Vt taceam, Autumni quod hyems vicinus amicam
Vere magis ſociam poſcat habere tori.
Æſtas, Ver valeat, valeant & tempora brumæ,
Optimus Autumuus: qui negat ære caret.
O cate Sponſe, catus fauſto tibi ſidere jungens
Autumni viduam, quod cupis, omne capis.
Non poterit glacialis hyems te lædere quicquam,
Dum calidum cingit calda viriſſa latus.
Lectum pax tectum circumdet, pignora lectum
Exhilarent. Votis ſint rata fata meis.

L. L.

MartInVs StatIVs NeogarD.

ALIVD.

Qui cudis verſus ſponſo ſtudioſe novello
Cudonem capiti ſumas, cape terga vocatus
Tergoribus: nam terga cibat, non viſcera, plagis,
Non epulis: mercator AVE venientibus offert
Aut SALVE quernum ſtudioſis: cudere verſus
An ergo pergam tibi, quo mea tergora cudas?

Tu

Tu mercator enim: Sed ego ſtudioſus, adeſſe
Ergo tuis nequeo tædis. Sed Luna Planeta
Eſt quoniam, tales num ſunt ex ordine ſtellæ
Omnes? vel corvus niger, eſtne Cayſtrius ales
Propterea niger? inſano cane talia demens.
Nam ratio & ſenſus ſuadent contraria: Sponſo
Huic licet ergo modos tutò componere, quamvis
Sit propola, ſacer Muſarum eſt fautor & altor.

Occipiti geſtans oculos oculate Deorum
Ianitor, ô cernis tergora Iane tua.
Tu quoq; lira pyram quâ prono in vertice ducit
Longa ſagittalem, lumina Sponſe geris.
Nam quæ ſunt, & erunt, & ſunt ventura reſpectas,
Ac Ianum ſuperans lumine, Sponſe vides.
Scilicet Autumno celebras ſocialia feſta,
Et carnem junctam quæris habere caro,
Autumnus Veneri quoniam gratiſſimus, uvis
Fervet, & ex illis fervet amoris amor.
Sic benè convincis tu quæ natura revinxit
Et duplici fato Sponſe favente coïs:
Scilicet Autumno coſtis ſuperaddere coſtam
Gaudes, perfecto lectus amore, tuis.
Mox etenim multo Cauri cum frigore paſſim
Sunt bachaturi, canaq; ninget hyems.
Hic uxor calidam laſſo, vel frigore brumæ
Brumali læſo nupta parabit aquam.
Ac geminum, de corde gelu, de corpore pellet,
Dum cordi junget corda fôvenda tuo.
Scilicet Autumno ſcandens ſponſalia Tempe
Uvifero, veneri ſacra marita facis:
Maternas lactans ut mammas mitiget æſtum
Filius, & blando gutture pappa ciat.
Da pater, optatam ſponſis contingere metam
Omnipotens cæli rexq; Deusq; novis.

Nicolaus Pompejus Luſat, Golſenſis.

ΣΦΙΝΞ ΕΛΛΗΝΙΚΗ.

Εἴσι δύ', οὐχὶ δύ' εἰσί: ἕν εἰσι, καὶ οὐχὶ ἕν εἰσι:
Καὶ γὰρ τ' εἰσι δύω σώματα, κῆρα δύω:
Εἴσι ἕν, εἰ γνώμη μία, νοῦς εἷς, καὶ τὸ θέλημα
Ἕν, κἂν ὦσι δύω σώματα, κῆρα δύω:
Ὅτι δύω νῦν ἕν, καὶ γίνεται ἄλλυτον ἅμμα,
Εἰς δύο τὸ σχίζει ἡ σαοαλσιο κοπὶς:
Δεῦρο! λύων γρῖφον τὸ ἐμὸν, παμφίλτατε κριτής.
Εἰπὲ τί ἓν φρενὶ, καὶ σώματ' ἃ εἰσι δύο.

AD SPONSAM.

AH miſeram viduam! viduum tibi ducere tempus,
Judice me, longè dulcius eſſe ſcias.
O tenerum corpus! teneris nocumenta tuliſſe
Artubus ut durum! quid juvat! ut miſerum!
Hic tibi, præſagit mens quod mihi, ſponſa nocebit
Sponſus: qui tentat nil niſi, quod noceat.
SEd te ſolabor. Fertur nociturus; at audi,
Virgini, at excultis noxius haud viduis.
Te quondam excoluit, qui jam tellure remotus
Vir; ergo hic SCADLOCH nulla nociva dabit.
Es ſatis apta viro; ſed ſi nocumenta daturus,
Mox jubeas vacuos ruris adire locos.
Artubus hærentem teneas, & fortiter urgentem
Vrgeat inſtiges, quò benè cedat opus.

Mea Reſurrectio Chriſtus.

ΑΛΛΟ ΕΠΙΘΑΛΑΜΙΟΝ.
Scriptum.



ESt hominum nemo verè quin pectore credat,
Quod ſit Dux Erebi ſævus in orbe pijs.
His ſtruit inſidias, his ſemper retia tendit,
Vt turpi ipſorum pectus amore gravet.

Aſt

Ast contrà DEUS est castus, nec non quoq; sanctus,
Atq; autor casti legitimiq; tori:
Est castus, castis gaudet, castosq; tuetur
Diligit in casto pectora bina toro.
Diliget ergò o te sponse IACOBE SCHADLOCHI
Et tibi pro meritis præmia magna dabit,
Quod, spreto Cypriæ furtivo semper amore,
Amplexus sancti fœdera casta tori,
Quæ non perversus Dæmon, sed Rector olympi,
(Qui, summo torquet numine cuncta suo)
Instituit, fovet, ornat, amat, complectitur auget
Et victu, & donis, corde, favore, bonis.
Vt probat exemplum hoc castiq; pijq; Tobiæ,
Nec non Iosephus comprobat ipse pius.
Dic mihi cur CHRISTVS cœlestis patris imago
Ad thalami promptus fœdra rogatus adest!
Quæ quondam dulci struxit cum conjuge castus,
Ille palæstinæ sponsus in urbe Canæ!
Dic mihi cur Christus dum vino deficiente
Dulcia mutatis vina paravit aquis!
Annon hôc voluit testari fortiter ipse
Mirâc'lo, quanti tempus in omne pium.
Conjugium faciat, quanto amplectatur amore
Servantes Domini sancta statuta Dei.
Quare tristitias animo depone o optime sponse,
Gaudia sed contrà concipe læta tuo.
Est tibi nam præsto Christus quoq; tempus in omne,
Atq; beat thalamum, pro bonitate, tuum.

Et donis, victuq; bonis, te corde, favore,
Conjuge cum dulci diliget ipse tuâ:
Ipse dabit prolem, Domini certissima dona,
Quæ referet matris, quæ patris ora sui.
Hoc precor ex animo, nec verbis pluribus utar,
Quam longum ut valeas, cum pare sponse tuâ.

ÆNIGMA ENVCLEANDVM
Sponsæ traditur.

EN τῷ ἐν κόσμῳ ὁλοπλήρῳ ἐστὶ τὸ ἄλσος,
Τοὺς καρποὺς παιδῶν αἰεὶ φέρον τ' ἐν ἔτει
Ὦ ΝΥΜΦΗ λέγε, πῶ πέλει ἄλσος τοῦτο θάλειον,
Ατρεκέως ὅτε τῶν ἀξί' ἔσῃ ἐπέων.

â

Nicolao Burchardo Sundensi Pomerano.

Lusus Anagrammaticus.

IACOBVS SCHATLOCHIVS MARGARETA CRAMBERN *g int verso*

Sponsus Bolus jactus! Chihosca.
Sponsa. Necem? Trambtrarara.

IncIDIt In Casses hæC præDa petIta IaCobI
M argarIs In pronVM CVrrIt aMICa sInV M.
A rte BOLVS lepidâ nunc IACTVS quippè Chihosc A,
A rte valet lepidâ capta Chihosca, fer A:
C apta, Chihosca, jacet! Quid, quæso illabitur isto C
R ete tuum, mihi dic? cerva venusta datu R!
O mine venando, iecisti retia faust O,
G ratia dum meriti solvitur hæcce tib I:
B olus, ait, IACTO lepidus jam sternor ego su B *Sponsa.*
A rte BOLO lepidâ! Sum quoq; jamq; tu A.

Annus mundi, & dies Nuptiarum 15. Septēbris per triplex V. indicatus.

Vror

V ror amore tui, mei amore perureris ac t V,
R es mihi nulla potest gratior esse, reo R.
S um tua, sisq; meus, cunctos tua dicar in anno S,
E n totam fidei me dico jamq; tua E.
S ed tibi quas referam laudes, quod præda superste S
T î vitâ maneam, quis mihi voce refer T?
C apta quidem teneor, nece sed sine rete per isto C,
A ufugio nullâ nî modò sponte tu A:
A rte solet lepidâ leporum venator amœn A
C olla ferire acie: sic facit is, facit hi C:
T aliter ut faceres & tu, nil, Sponse, nocere T,
R esq; mihi haud esset gratior ulla, reo R.
L aus vero, & magnum est venatori vectiga L,
A rte quod intereat præda petita su A;
O sed parce mihi recubanti in classibus or O,
M itte nec horridulā pectus obire NECE M.
C langat enim tua laus nihilominus æthere, nō ne C
B uccina præfortem clangat amica Jaco B,
H eroem celebret te, heroica facta probetq;, a H
E sto: *NECEM* intēdis? dic modo, liber ag E.
I mea sponsa, *NECEM*? quid ais? tu carior ull I *Sponsus.*
R e non es sine me; quin tibi vita datu R.
V ivo, *NECEM* vici, Trambtrarara buccino cant V, *Sponsa.*
N estoris hinc annos reddat amicus Hyme N.
S ic vicisse juvat, Trambtrarara, Trarara, sic Do S
N ulla mihi major! gaudia reddat Hyme N.

Anagrammatis applicatio.
ad
CONVIVAS.

Nomina cum spectes Nuptorum, gaudia præ se,
Trarara, *rite ferunt, quodq;* Chihosca *probat,*
Sic lætus lætam, sic lætum læta, Chihosca,
Repperit, & lætum junxit utrumq; Deus.

Hoc mirum! quid enim decorat magis hac Neonymphos,
Quam mens in sano corpore consimilis.
Conveniunt bellè lætantibus Exhilarantes,
Conveniunt bellè flens quoq; collachimans.
Ergò age, quis prohibet nuptum, quis murmurat, ambos
Connubio jungi consimiles stabili.
Nam velut applaudit, Trararæ, *vox illa* Chihoscæ,
Et sibi gratatur de socio lepido.
(Namq; foro latè demum tum buccina clangit,
Et spectatores congerit una sibi,
Iubila clangori gaudens dum miscet amica,
Voceq; discretos scit numerare sonos)
Haud aliter sponsus sponsæ gratatur honore.
Iubila dum læta miscet amica tuba.
Nempè probant ambo, bellè se consociari,
Alteraq; alterius gaudet inire torum;
En mirum! Ergo Deus quos huc deduxit amicos,
Convivasq; alios pectore sic moneo.
Sint hilares animi, sponsus cum vir hilaris sit,
Sint hilares, sponsæ dum tuba fert hilaris.
Iubila cum sponso percantent læta, Chihosca;
Buccina sit vitrum, sit tuba plena mero.

Ludebat Martinus Thuringus Fursten-
bergiensis Megalburgicus.



ALIUD.



Lucidior nuper luxit lux lucida solis,
Sol ussit, tellus riguit, semenq; sitivit
Omne spirans, omne pererrans omneq; repens
Captabant auras, optabant otium & umbras,
En calor exussit, Phœbi jubar ussit & Ursam,
Hæc rumpens per saxa motu per tesqua volatu

Quæ-

Quæsivit fòveam, multam que præbeat umbram,
Mille pererravit, loca visere mille negavit,
Namq; videbantur non umbram, spargere largam.
Flendo sæpe DEum per sæpe gemendo rogavit:
Talis ut obtingat quæ se de sole recondat,
Quæ placeat, quæ grata fiet, quæq; exhilaret se.
Audijt ecce Deus, Deus annuit ecce benignus,
Nam dum pausavit, dum nulla per arva meavit,
Ecce specu aspexit specie speciosius omni,
Læticiæ fax orta illi, lux reddita menti.
En salve, dixit, locus ô mihi debite salve,
Tune ergo quem fata dederunt, secla tulerunt
Læta mihi? tecum dabitur consumere vitam?
Tu refrigerium, tu gaudia tuq; voluptas
Quæ me refficiat, titillet, me refocillet?
Ah te grata mihi te delectabilis offers!
Tu mihi tela syri tu pelles frigora Cauri,
Nil timeo, jam namq; tuo sub tegmine cesso.
O felicem ursam te, terq; quaterq; beatam!
Quæ talem qualem petijsti mente cupitâ
Ultro dante Deo capis accipis atq; potiris,
Hanc tu conserva, spartam quam tu accipis orna,
Namq; ornare potes, quia Margaris es preciosa,
Splendidior splendens splendore splendidiore,
Quin & fossa suo proprio splendore coruscat,
Namq; habet adjunctum Jacobæum fossa bacillum,
Quem divina bonis benedixit virgula multis,
Fossa viret, baculusq; viget, regit hic, tegit illa,
O ursa tibi dux, tibi lux, tibi fax, tibi pax sunt,
Tu captans umbram recubas sub tegmine fossæ,
Mirificè splendens, illustrans luce tegentem,
Ergo vireto thoro, splendete foroq; poloq;

Gramine Rejecti Gaudia Percipiunt.

IACOBVS SCHADELOCHIVS,
MARGARETA CRAMBERIANA

κατ' ἀναγρ. &c.

(*Elis. asp. h*)

ANDEM? REBVS JÖCA GRATA MISCE
ET SVBI LOCA RARA ———

Enucleatio.

Miror! me pede fermè signo, miror!
Miror, me pede ferme signo, miror
Et quamvis repetem quaterq;, centum;
Mirari tamen hoc foret minari:
Nam etsi materies opima præsto
Sit, his carmina nuptijs ut addam:
Apta non tamen est meo palato.
Haberi modo nuptias novellas
Sponsis, heîc video, bonis novellis;
Hoc num materiem dabit Phaleucis?
Quidem mî daret & ferè aptius nil;
Sed doctam modò postulat Minervam;
Non hoc molliculos meos Phaleucos.
Et bellam viduam, modò novellam
Heîc sponsam video, bono novello
Sponso: num memorabo mente dotes
Intus quas habet ut novella sponsa?
Et hæc materiem dabit Phaleucis?
Quidem mî daret, & fere aptius nil;
Ast eam faciè forisq; tantum
Vidi; Rem tî ideò externam referre,
Hoc rudis mea mî vetat Vacuna,
Et sponsum video, modò novellum
Ornatum variis bonis novellis
Mentis, corporis. Agmen ô bonorum!
Hæc num materiem dabunt Phaleucis?
Mî darent equidem, & ferè aptius nil
Hoc sed verba dare atq; palpitare
Foret, vel dare verba blandicella.
Pompam num memorabo nuptialem?
Et hæc materiam dabit Phaleucis?
Mî quidem daret, & ferè aptius nil;
Hanc sed quisq; videt, vident ut omnes.
Ergò num referamne quæ parata
Heîc sint, quæ bene cocta, lixa fercla?
Et hoc materiem dabit Phaleucis?
Quidem mî daret & ferè aptius nil;
Quisq; sed sapiet, sapor sapori
Queî erit; non opus ergò multa fari.
Saltandi modus ergò? Musici queî
Flectant pectora musicâ sonorâ?
Hoc & materiam dabit Phaleucis?
Quidem mî daret & ferè aptius nil,
Hunc sed Terpsichores oportet ut sit,
Sistrum, quod resonat canitq; notum,
Ast mî non propinavit hæc Apollo:
Ergò materies meo palato
Apta cum lateat, repono chartam
Et stylum vacuum, quod ac id ante;
Miror me pede fermè signo miror!
Sed Iunoq; Venus, Deæ jubent me
Expectare novem decem vel annos
Lunareîsq;, meo brevi Phaleuco
Spondent materiam; libenter hoc fit.

Foret

Intrim tî dare, Sponſe pulcre vellem,
Si velles, medium; ſed anne gratum?
AN DEM? REBVS IÖCA GRATA MISCE,
AC SVBI LOCA RARA, Facid, Hercle

Sic mî materiem dabis Phaleucis,
Aptam materiem meis Phaleucis.
Lubens hæc capias, novelle Sponſe.
En! volo his Breviter Rigare Mētem.

Exoptans Bona Rectâ Mente.

ALIVD.

EIa age nunc Domino grates, cariſſime Sponſe,
Nam tibi ſponſa decens conveniensq́; venit.
Margarith ut conchis innaſcitur una marinis:
Margaris una tuo ſic quoq; corde viget.
Margarith ut dotem commendat forma, colorq́;
Margaridos pietas ſic quoq́; magna tua eſt.
Margaritu alta nocet demiſſi fluminis ira,
Margaridi mitis competit ergo torus.
Margarith aſſiduos cordis curare dolores,
Inſignemq́; alijs uſibus eſſe ferunt.
Margariden ſolamen habes, mi Sponſe, laborum
Omnigenûm, at præſta Margari tale tuo.
Sed niger haud te Indus portat, poſtremaq; Thule
Margarith, à Domino (cruſtula pura) venis.
Margaride ergo pia cultaq; viragine, Sponſus
Gaudet, honorato lætus avatq; toro.
Tu Cramberiacæ gaude quoq; gloria gentis
Sponſa, peroptatus nam tibi Sponſus adeſt.
Qui corde eſt mitis, gratus ſermone, modeſtus
Vultu, ſub labris fraude latente caret.
Claret ab officio, functus quô non ſine laude,
Et fecit munus ſedulus ipſe ſuum.
Laudibus hunc ergò dignis Stettinica cantat
Plebs laudum munus gensq; inimica dabit.
Hunc nova dilectum conjunx reverere maritum,
Fas eſt ingenio velle placere viro.

Hiſce

Hisce meas adjungo preces & numina posco,
Quo servent sponsi prospera cuncta domus.
Competit idcirco vobis ut prosperet omnes
Res, precibus facilem sæpè rogare Deum.
Vt vestram multos vitam producat in annos,
Augeat & vestrum prole sequente torum,
Quæ, ceu purpureus circumdat flosculus agrum,
Sic possit vestram condecorare domum.
Mutuus inter vos sit amor, concordia dulcis,
Et bona sint eadem, sint eademq; mala.
Vna fides maneat, binis ex mentibus una
Mens fiat, vestra ut comprobet acta Deus.
Hæc sunt quæ volui chartacea mittere dona,
Grati animi cupiens edere signa mei.

Samuel Langhalsius Strelitz. Megap.

Ad Christum Vnicum Christiani conjugij paranymphum precatio

ADsis conjugio SCHADLOCHI, pronube Christe,
Mirandi nexus verè mirabilis autor,
Inq; merum insipidas digneris vertere lymphas.
In risum lachrimas, mœrorem in gaudia mutum.
Sacchara, conjugij te præside, fellea vincant,
Hyblæoq; dabis condiri aloëtica melle,
Terrigenum quibus hæc scatet afflictissima vita.
Tu lemures arce, qui pectora juncta revellunt,
Atq; susurrones Cacadæmonis organa pelle,
Quos in conjugio mollis concordia pungit
Et quibus invisa est nota coniugalis amoris.
Da sobolem multam, longamq; videre senectam,
Conjugibus castis, quos par ferruminat ardor,
Da mala ne posthac possint his ulla nocere
Aeternâq; frui, posthanc, da pronube vitâ.

Balthasarus Breitsprekerus, Treptov.Pom.

ALLE

ALLEGORIA.
ad
Mercaturam Sponsi IACOBI SCHADDELOCHN,
ET
Nomen sponsæ MARGARITHÆ CRAMBERN.



Dic mihi, Sponse, tibi num jàm bona rectius optem
Omina? dic, GEMMAM & solus habeto tuam.
An mihi dira precer potius? Musisq; quod olim
Me consecrârim, Dædaleæq; Deæ.
Aut nec dira mihi, mala nec tibi? Qui voluisti
Ex mercaturæ vivere ritè lucro,
Anceps ancipitem versat sententia mentem,
Nec quonàm video tutius ire queam.
Credideram, Musas quàm pleno dulcia quæq;
Cornu discipulis suppeditare suis!
Dulcia, quæ vel inops, fruimur quâ vita requirit,
Cujusvis generis, delitiæve volunt.
Credideram, sed frustrà hei hei! Nam sacra caterva,
Musarum quæ fert commoda, quæso, mihi?
Non nitidas gemmas; non æris pondera fulvi;
Non mihi delicias; non mihi dulce lucrum.
At si respicio te contra, & pondero lance
Æquâ fortunam, sponse polite, tuam.
Eheu quam me sis video felicior Eheu,
Et tua fata fient quàm meliora meis!
Nonnè satis fuerat Pactoli lambere lymphas,
Auri Mercandi pellere & arte famem?
Insuper adfectas vivis splendescere GEMMIS?
Qnalis gemma tibi jàm neonymphe, venit.
En tibi jàm GEMMAM, quam præceps odera tangit,
Urbs offert, qualem vix reperire queas
Indicia laudatur tellus præclara decoris
Gemmis, sed similem non habet ista tuæ.

Condita permirum mundi hæc ſtructura rotundis,
Distinctas quatuor fertur habere plagas:
Num tamen una tuæ Gemmam (mirabile dictu)
Harum poſſideat, credere nolo, parem.
Nec tamen invideo, miror magis, irruat unde
Hæc, ſponſe, in caſſes præda petita tuos.
Margarin hanc habeas, foveas, quia numine miſſam
Pol tibi divino Margarin hancce reor.
Margaris hæc creſcat viridis, precor, inſtar olivæ,
Vt repleat menſam fertilitate tuam.
Margarin hanc inter pax aurea floreat & te
Nunquam non, multæ vosq; ſequantur opes.
Talia vota fero vobis; Tramtrarara cantet
Alter & erectâ fronte Chihoſca vocet.
Annuat hiſce meis votis Deus, annuat illis,
Qui ſolet auxilio ſemper adeſſe bonis.
Iam mihi dira canam? non certò: namq; beabunt
Et me fortunâ tempora, ſorsq; pari.
Firma mihi tandem firmat ſententia mentem,
Et quonam video tutius ire queam.
Non me pœniteat mentem adjunxiſſe Camœnis
Quarum perpetuò lausq;, decusq; viget.
Quarum non gelidæ rapiunt bona dona procellæ,
Non mare, non flammæ, non violenta manus.
Mercatura ſuos cultores perdere tandem
Sæpè ſolet, ſed non perdere Muſa ſuos.
Hæc mecum quivis mercator credito vera,
Hæc maneant ſemper mente ſepulta mea.

à Hieronymo VVoltersdorphio Luchoviâ-Luneburgico, ſponſæ cognato.

Ænigma Chronologicum.

SoL noVVs Vt LVCet ſepte MbrIs ab a Xe ſerenVs,
Vt pVLCro ſponſo ſponſVLa pVLCra nVbIt:

SoL

SoL noVVs Vt ter qVInqVe faCes ILLVCet In aXe,
Et sponsVs fLagrat LVMIna IVnCta sIbI.
SIC eXorta tIbI LVX arDens IuraDIabIt,
AC LVX LVstrabIt sponsVLa pVLCra thoros:
Et ter qVInqVe faCes noVa LVX fLagrabIt, Vt opto,
EX Voto CeDant CVnCta VoLente Deo.)

Ambrosius Hademer Stet: Pom:

Ἔπος γαμικόν.

Est quod in aprico veteres fecisse Quirites; — *Sext. Aur. Vict. c. 2.*
Vt canerent nomen voce, Thalasse tuum.
Cum qui naturæ legi parere pararent;
Et cuperent socio subdere colla jugo.
Hoc nos qui Christi trahimus de nomine nomen
Jure, bono facimus, Christe homo dive tibi.
Nubile cum par hoc quoq; nunc conspiret, & inter
hos feriat fœdus connubiale Venus.
Tu nam conjugij Princeps subscriptor, & Auspex — *Gen. 2. 3. 4. 5. 9. 29.*
Es, tu vim casti fundus amoris alis.
Contra Montanos, Tatianos & Manichæos,
succinctosq; latus cannabe lignipedes.
Tu protoplasto junxisti pronubus Evam: — *Gen. 2.*
quà stetere Elysij læta vireta soli.
Tu, cum servus hero Sponsam petijsset Isaci, — *Gen. 28.*
fecisti, peteret sponsa Rebecca torum.
Tu causa ut Tobias Genio comitante viali — *Tob. 8.*
iret cumq; Sarâ fœdus iniret ovans.
Proîn quis it inficias fieri connubia Fato
huic ego non solum cordis inesse reor.
Non tibi fortunæ cedit bona munere conjunx — *Prov. 19. 15. Syr. 26. 3.*
Ast it in amplexus dante Tonante tuos.

Dante Tonante cluunt felices tempore, fædæ,
    Omnia nec, furtis jnrgia lectus alit.
Dante Tonante torus facilem conservat amorem
    Et sartus tectus nescit habere vices.
Dante Tonante toro consurgunt germina viva
    Et quodcunq; cupit mens generosa capit
Proîn non de nihilo fuerit tua numina Christe
    Poscere ì non abs re vota litare tibi.
Fac illos veluti nunc arrha ligavit & ara
    Unica sic binos mens liget una fides.
Fac nullum frigus pariles prius intret amores,
    Quam referat gelidum pausa suprema diem.
Exulet Asmodeus thalamo, discedat et Ate
    Vivat at hoc semper pax & homophrosyne
Fac tandem natos, & quinascentur ab illis
    Spectantes vincant posteritate Tharen.

M. eum L. iberator. R. efugium M. eus.

ALIUD.



Σ ῥόδον ἀμβροσίην ὀδμὴν ἐσθλήν τε δίδωσι,
Καὶ σφετέρῃ ὀδμῇ πίμπλησιν ὅλον τὸ μέλαθρον,
Ἀνθρώπους τ᾽ ὀσμῇ εὐφραίνει τῷ χαρίεντι:
Οὕτω καὶ Νύμφη περικαλλὴς, εὐπατερείη,
Εὐσεβίην ἁγνῶς ἀσκῶν ἔργῳ τε λόγῳ τε,
Νυμφίον εὐφραίνει καὶ στέργει τὸν μόνον αἰέν.
Οὐ γὰρ τῆς ἀγαθῆς τῆς αἰδοίης τε γυναικός
Ἔμφρων καὶ πινυτός τι ἀνὴρ ληίζετ᾽ ἄμεινον.
Νῦν οὖν χαῖρε ἀεὶ θυμῷ ὦ Νυμφί᾽ ἄριστε,
Τήν τε φίλην Νύμφην σου ἀτρεκέως ἀγάπαζε,
Ὡς ἥ ἐκ θυμοῦ φιλέει, στέργει τέ σε μοῦνον.
Χαῖρε δὲ Δαιμονίη ὦ Νύμφη ἔμφρονι θυμῷ;
Πάντα γὰρ, ὅσα ἔχειν μέμαας στήθεσι, δέδεξαι.
Νυμφίος ἐστὶν ἐκεῖ ὁ φίλεργος καὶ μέγ᾽ ἄριστος,
Οὗτος σε στέργων προσφωνεῖ τοῖσιν ἔπεσσιν·
Ἔρχεο Νύμφη ἐμὴ χ᾽ ἵκου πολὺ φίλτατη πασῶν,

Ελθὲ

Ἐλθὲ ἀρίστη ἐμὴ δεῖξον τεὸν ὦπα φιλίστην
Ἐξαγαπῶν με λόγοις τοῖς αἱμυλίοισι προσαύδα·
Ἡμεῖς εἷς θυμὸς καὶ σῶμα ἓν ἐσμεν ἀληθῶς.
Τοὔνεκα συγχαίρων σοι, ἐπεὶ λάβες εὔφρονα νύμφην,
Εὔχομαι ἐκ θυμοῦ, ὀρέγων χεῖρ' εἰς τὸν ὄλυμπον,
Ὄφρα Θεὸς κόσμου τεχνήμονος αὐτογένεθλος
Εὐλογίαν σφετέρην ὔμμιν δώῃ, λιπαρῶς τε
Παμπόλλοις δώροις ὑμῶν κοσμῇ γάμον ἐσθλοῖς·
Εὖ ὑμῖν ἐνὶ τῷ δε γάμῳ ᾖ ἱμερόεντι,
Ὄμμασιν ὑμετέροις τῶν τέκνων τέκν' ἐσορῶντες,
Ζᾶτε ἐν ἡσιχίῃ πόλλ' ἤματα ἐν χθονὶ ταύτῃ
Ἤδε τελευταῖον σὺν παμμεδέοντι ἄνακτι
Χριστῷ προσβαίνητ, πότ' αἰγλήεντα ὄλυμπον,
Καὶ ζᾶτ' εὐθύμως λυπῶν ἔκτοσθεν ἁπασῶν.

Benevolentiæ ergò adponebat
Hermannus Prötzenius Brunopolitanus.

ἘΠΙΘΑΛΑ'ΜΙΟΝ.

FElix, ô nimium felix, cui contigit uxor,
Quam pudor, & virtus, ornat & alma fides,
Quam pietas, quam vita decens, morumq; venustas,
Quam simul & probitas, ornat, alitq; domi.
Hæc *non exhilarat tibi cor preciosa* Jacobo
Suppellex? Hæc *non fessaq; membra levat?*
Ergo cum Schadloch *sociam sit nactus eandem*
In thalamo, modulans carmina læta sonet,
His precibus sponsi jungam hæc quoq; paucula vota,
Quæ Ihovæ pectus, sint modo grata, movent:
Ferveat una caro, spiret mens una duobus,
Crescite fœcundo, nuptaq; virq; toro.
Vivite felices, certate in amore perenni·
Sic vestrum lædent nulla pericla domum.

Tu Deus Fortitudo Mea.

ALIVD.



Est aliquid doctâ modulari carmen avenâ:
Aöniæ proprium nectar quibus obtigit undæ.
Nectare si tali dio mea labra rigassem,
Sponse tuas docto celebrarem carmine tædas.
At licet ingenij celsum mihi desit acumen:
Attamen ingenti quo sum tibi vinctus amore
Victus, ego tenue hoc volui tibi ludere carmen;
Quo socij decorem, queîs possum, fœdera lecti,
Cum mihi sponsa sies consanguinitate propinqua.
Gratulor ergò tibi quod reddidit hacce Supremus
Luce, quod ingenti luctu mors abstulit atra.
Dat tibi Iova virum nunc integritatis amantem,
Ipsum ceu donum Domini complectere Sponsa:
Nam minuet tristis curas hic pectoris ægras.
Sponse tuam redama Sponsam, redamatio talis
Vos inter vigeat, vitam dum Parca reposcet:
Regnet & in vestro semper pax aurea lecto
Sit quoq; prole repleta domus ceu gramine prata.
Lite vacet vester torus, & concordia cingat
Tecta, quod ex animo fido tibi Sponse precarer.

Jacobus Otto. Stet. Pom.

VOTUM NVPTIALE.



In thalamo semper pax sit GRATISSIMA vestro
A   pte qua mentes jungat amore pari:
C   astos ut lusus ducatis, & ardor amoris
O   mnia per vita tempora ritè fiet.
B   ella venit nunc SPONSA tibi charissime SPONSE,
V   t qua præclare dotibus aucta suis.
SPONSA rubore nitet, nitet & sic illa pudore,
S   cilicet is casti signa refert animi.
C   astam igitur ceu SPONSE decet complectere SPONSAM,
H   ancq; tui cordis delicium esse jube.

Altito-

A ltitonans socij lecti φιλ@ ipse (precamur)
D isidij pellat semina quæq; mali:
E t vestras ædes dilectâ prole secundet,
L uctus quæ minuat tristitiamq; gravem.
O pto diu valeas & MARGARIS atq; IACOBE
CH RISTVS & hoc votum firmet vterq; VALE.

Michaël Raschius. S. P.

ALIVD.

COrvus ut audivit, quod candida fortè columba
Sit maculata parum stercore, spernit eam.
Seq; ratus niveum, famam, ceu rosor & osor,
Ipsius allatrat: Sed videat, quid agat.
Integritatis aquas accedet, & abluet ipsa
Stercus, at hunc semper fœda nigredo manet.
Eccè fovent & amant Regesq; ducesq; columbas:
Quis Corvos? spernunt hos, ubicunq; volant.
Vos igitur sponsi, & convivæ quotquot adestis,
Cum quid ait Corvus, non adhibete fidem.
Abs re quid crolitat pipant, modò vera columbæ,
Fallere nec possunt quem: quia felle carent.
Hisce favete: Fidem vobis tribuisse vicissim
Non renuunt, atq; hæc ardua vota ferunt.
Scilicet ut proles & amor, pax, vitaq; longa
Ambos vos maneant, Ihova Regatq; Thorum.
More columbarum ludatis: linquite nunquam,
Vt corvi, sobolem, quam Deus ipse dabit.

Petrus Thessenius Veterioris Sophiæ veternosus Studiosus:

ALIUD.

QVi Christo placuisse cupit, summoq; parenti,
Non vult æternum suppliciumq; pati.
Hic animo cœcum toto exercetur amorem,
Alterius nunquam sollicitetq; thorum.

Sed

Sed vitæ sociam thalamo sibi jungat honesto,
Sic almi faciet jussa verenda DEI.
Gratulor ergò tibi JACOBE industrie, toto,
Pectore conjugio fausta precorq́ʒ, tuo.
Nam matrona tibi nexu devincta jugali,
Nunc thalamos intrat, pulchra, pudica, tuos.
Adjungis vitæ comitem tibi sponte labores,
Quæ tecum duros officiosa feret.
Quæ spirante bonæ sortis tranquillius aura,
Dividet ex æquâ gaudia lance tibi.
Quæ simul ac dirum fortuna adversa tonabit,
Congemet, & tecum fata sinistra feret.
Deq́ʒ tuâ pellens curarum nubila fronte,
Suavi inspirabit gaudia voce tibi.
Tu modo sincero, Sponsam complectere amore,
Imperat hoc pietas, conjugijq́ʒ fides.
Vivere sic multos poteris feliciter annos,
Cum Sponsâ & lætus munera ferre DEI.
Quod precor eveniat Sponsis, majoraq́ʒ largâ,
Cœlestis precibus det pater ipse manu.

Petrus Grönenbergius Dam-
mensis Pomeranus.



